

ad mensam Ecclesiae Ravennæ pleno jure spe-
tantem, pro 9 annis, incipiendo in vigilia bea-
torum Petri et Pauli apostolorum, pro afflictu du-
catorum 43 singulo anno, alienatione quorum-
cumque bonorum et jurium dicti loci et villæ sibi
penitus interdicta, et quod transacto novennio,
dictum territorium, tenutas, possessionem ipsius
loci, cum omnibus juribus, proprietatibus etc.
pertinenciis universis debeat et omnino teneatur
Ecclesiae Ravennæ libere, simpliciter et expedite,
sine ulla contradictione et oppositione dimittere
et relaxare.

1472. XII kalendas junij. Sextus IV pontifex con-
firmavit tenorem seu privilegium Ecclesiae Raven-
næ concessum per Honoriū III papam, in quo
ille confirmat Ecclesiae ravennati territorium Ra-
vennæ, Rovedolam, villam Sancti Pancratii, vil-
lam Sancti Archangeli, et villam Russi et Garbei
et castrum Caxæ Muratæ, cum curtibus, jurisdi-
ctione et pertinenciis suis.

Per diaceptum vero sanctarum ravennatis Ecclesiae, ul-
tra prædicta, apparet, probatur et convincitur
locum Caxæ Muratæ esse territorium Ravennæ,
quia in folio 292 est quedam concessio emphiteotica dicens: in territorio Ravennæ plebatu
Quinti, curte Caxæ Muratæ, scola et fundo Pom-
piani; et folio 295 dicitur: in territorio Ravennæ,
plebatu Quinti seu Alfiani, scola Alfiani, fundo
villæ Mannæ, curte Caxæ Muratæ; et folio 329,
dicitur: in territorio Ravennæ, plebatu Sancti
Zachariæ, in curte Caxæ Muratæ, fundo Maurani;
et folio 330 dicitur: in territorio Ravennæ, ple-
batu Sancti Zachariæ, in curte Caxæ Muratæ; et
folio 331, idem ut proxime ab utroque latere fo-
lei in pluribus postis; et folio 334 dicitur: in ter-
ritorio Ravennæ, plebatu Sancti Zachariæ, fundo
Paonis, curte Caxæ Muratæ in pluribus postis ab
utroque latere folii; et folio 335 idem; et folio
336 et 336 idem; et folio 338, 339, 342, 343,
345, 346, 347, 348, 353 hoc idem apparet et
probatur per plura alia diacepta aliarum ecclie-
siarum et monasteriorum Ravennæ, attestantia
dictum locum Caxæ Muratæ esse territorium Ra-
vennæ.

Astensis etc. universis et singulis præsentes litteras
inspecturis notum facimus, quod inter nos ex una
et serenissimos ac potentissimos principes Ferdinandum
et Helisabeth regem et reginam Castellæ, Le-
gionis, Aragonum, Granatae etc. ex altera, fuerunt
tractati, facti et conclusi, et facta et conclusa articula
et capitula induciarum et treguarum ténoris se-
quentis:

In primis, fuit et est concordatum, quod sit bona
secura et legalis tregua guerræque abstinentia per
tempus trium annorum inter altissimum et potentis-
simum principem Ludovicum regem Franciæ, ducem
Mediolani et Christianissimum ex una, et altissimos
et potentissimos principes et principissam Ferdinandum
et Helisabeth regem et reginam Castellæ, Le-
gionis, Aragonum, Siciliæ, Granatae et Catholicos
parte ex altera, tam per mare, terras, quam aquas
dulees, pro ipsis et eorum omnibus regnis, patriis,
terris, dominationibus, subditis alligatis et confœde-
ratis in quibuscumque partibus existentibus, tam
citra quam ultra montes, et signanter per totum re-
gnum Sicilie citra Farum, per mare et terram. Quæ
quidem treguae erunt communicativæ et mercantiles
tali modo et forma, quod, durantibus illis, subditi et
sequentes dictas partes seu alteram illarum, poterint
ire et proficisci, mercari et vehi facere secure et sine
aliquo impedimento personarum et bonorum suo-
rum, omnes mercantias et bona quæcumque in om-
nibus partibus et qualibet ipsarum supradictorum
principum, ibidemque morari, ire et redire, tam pro
facto merchantiæ quam pro alia quamvis causa, pro-
missio tamen, quod pretestu et sub umbra præsentis
prædictæ treguae, dicti commorantes, frequentantes,
euntes et redeuntes hinc inde non facient neque pro-
curabunt directe neque indirecte aliquid in preiudici-
tum principis, in patria seu in partito cum ipsis se
invenerint.

Item, fuit et est concordatum quod, durante dicta
tregua, nulla executio sive aliquid guerræ expletum
fiet hinc inde ab una parte neque ab alia in dictis
regnis, patriis, dominationibus, nec illorum finibus,
neque in prædicto Sicilie citra Farum regno, quo vis-
modo, per vim seu per risiam, claim neque palam
seu alios per se aut interpositas personas, sed ne-
que capientur hinc inde ab una parte nec ab alia ali-
quæ civitates, villæ, plateæ, oppida, fortificia, minus
que provisionarii nullius partiti, nec navigia nec alia
bona per mare nec per terram, quin imo id quod
invenietur captum, innovatum, qualicumque modo 448
adictis partibus, seu altera illorum, post diem qua
præsens tregua publicabitur, ut inferius continetur,

*Copia capitulorum inhibitorum inter Christia-
nissimum regem, et Catholicas majestates
Hyspaniæ.*

Ludovicus Dei gratia Francorum, Neapolis et Je-
rusalem rex, dux Mediolani, dominus Januæ, comes